

IN JOAN. 8, 3. 4. 5.

*Historia Evangelica de adultera autentica est: \*)  
Impie ac Pharisaeis longe peiores increduli  
b. l. dicta & gesta Jesu taxant & perstrin-  
gunt. \*\*)*

\*) Multa arguunt adversus illam, praecipue ex *Euseb. Hist. Eccles. Lib. 3. C. 39. a Papia*, ex vetere traditione discipulorum Apostolicorum illam scriptam esse volunt. Verum cit. loc. *Eusebius* ipse concludit, in *Evangelio secundum Hebraeos* eam haberi. Hanc histor. permulti Ecclesiae Patres ut canonicam agnoverunt. Versiones Syriaca, Arab., Persic., & Aethiopica eam habent. In uno tantum ex vetustis septemdecim codicibus, quos Beza penes se habuit, absuit, alia argumenta inficialia non moramur.

\*\*) Dolosa & maligna denuntiantium consilia Christi Jesu sapientia evertit. Neque auctoritati publicae obstitit, neque Legem Mos. correxit, aut scelus illud plectere prohibuit, fovendo facinora, ut blasphema fert censura. Astutia & malitia pudore suffunditur, dum accusatores de eodem crimine convenit. Sola lectio Historiae cunctas *Edelmanni & R. Isaac &c.* criminationes & ineptias in ventos diffilat.

Infelix mulier unum mandatum Legis violaverat, superbi vero Pharisaei summam Legis violabant, charitatem, justitiam, mansuetudinem, Religionem, in Christum

J. conjurati, & ex ejus mansuetudine, quam imitari hos oportuit, insidias illi struendi, ansam sumserunt. Quam multi hodie Pharisaeis & Scribis similes, Zelum legis prae se ferunt, cum Spiritum Legis nullum habeant?

---

VII.

IN I. JOAN. 5, 7.

Miramur, quae Cl. J. F. Froriep Ss. l. D. Th. Augustanae Conf. in Univerf. Erfurtenfi Prof. P., propugnante 30. April. 1777. G. H. S. Neries in lucem protulit: pag. 7. scribit:

*Quod Johanni suppositum est dictum de tribus in coelo testibus, \*) hoc jure, meritoque rejecit Lutherus, & in vernacula versione praeteriit. \*\*) Dictum illud v. Joann. 5, 7. Spirituum esse, a Viris eruditissimis accurate demonstratum est. Legas celeberrimum Griesbachium. \*\*\*) Lutherum vero, quoad vixerit, ita egisse... tam certum est, quam quod certissimum. \*\*\*\*) Quo utroque posito summum Virum ab imperitia, levitate animi, cordis malignitate, aliisque opprobriis vindicamus. \*\*\*\*\*) Lutheri constantia excellentior est Erasmi timiditate. \*\*\*\*\*)*

*ANIMADVERSIONES.*

\*) Haec periocha, confirmando Ss. Triados dogmati apta, praestantissimorum Codd. MSS. & impress., Graecorum, Arme-

me-